

NUMMUS VOTIVUS

MARIÆ REGINÆ ANGLIÆ: CU

fus restauratâ Pontificiâ religione in Anglia : unâ
cum monetâ aureâ, sub inaugurationis fe-
stum in vulgus sparsâ: Anno Chri-
sti 1553.



Ortuo Eduardo Angliæ Rege, testamentique tabulis referatis apparuit, quod Mariam & Elisabetham sorores Germanas exhæredarit: Joannam, Henrici Ducis Suffolciæ filiarum natum maximam, exasse hæredem scripserit: quæ cum literis, iudicioque, prudentiaque præstaret, non admodum honoribus hisce, prævisio quod sibi immineret periculo, delectata fuit: parentis at tam voluntati repugnare noluit. Tulit hoc iniquissimè populus, non tam studio Mariæ, quam odio Northumbrij Ducis, quum nemo ferè dubitaret, quin huius ipse author esset consilij: nimirum, ut hâc viâ regnum, tanquam in suam domum derivaret. Maria interim in Norfolciam confugit, & opem implorans pro reginâ se gerit. Northumbrius collecto milite comprehendere eam studet: qui verò in ur-